



ILLMO. AC RMO. D. D. D.

JACOBO CATALA ET ALBOSA

GADITANAM SEDEM ADVENIENTI

SANCTÆ CRUCIS COLLEGIUM

S. D.

GADIBUS.

TYPIS DNI. FRIDERICI JOLY.

MDCCCLXXIX.

†

Ecce veniunt ad Te, Perillustris Præsul, et reverentiæ et gratulationis, ut par est, proferentes signa, pueri et adolescentuli in Alma Cathedrali Ecclesia Acolythorum vices gerentes. Nec mireris pectora nostra signaculo Sanctæ Crucis videns decorata, si enim, pro tua indulgentia, aliquantulum nobis præstas auditum, de tanti stemmatis ratione certior fies.

Anno siquidem septuagessimo sexto proximi elapsi sæculi, Cathedrale Capitulum, ut puerorum, qui ad altaris et chori servitium erant adhibendi, curam susciperet sub titulo Sanctæ Crucis, propriis sumptibus, Collegium erexit.

Ipsorum institutioni sedulò incumbens, præter quotidianam spiritus refectionem, sub optimis magistris et latinæ linguæ operam dabant,

et psalmodiæ concentus modosque musicos ediscebant: adeo ut præfatum Collegium Cathedrali Ecclesiæ chori Præcentores, musicorum Præfectos, universique ordinis ministros suppeditaret.

Sed nimis onerosum nunc recensere egregios aliunde viros, qui initium sapientiæ, timorem Domini, ut ferè quotidie canimus in choro, intra septa Sanctæ Crucis domus alté imbibentes; postmodum vero bonarum artium institutis diversarumque scientiarum disciplinis optimè exculti, ornamentum atque splendorem Ecclesiæ contulerunt.

Liceat saltem ad memoriam revocare doctos viros, qui ea quæ prius accuratè didicerant, postea utiliter aliis tradidere; aut tamquam Pastores vigiles parochialibus ecclesiis præfuerunt: viros insuper Canonicatu insignitos, Dignitatibus ornatos atque de regia munificentia etiam benemeritos. Sed ¿quid amplius? Nec defuit quidem, qui episcopali inunctus consecratione, hanc ipsam Diœcesim, quam sedulæ tuæ curæ, non sine nostri animi gaudio, novimus concreditam, lau-

dabiliter ad obitum usque gubernavit ac rexit.

En igitur, Pontifex clarissime, uberrimos, quos, ut de cæteris taceam, fructus Sanctæ Crucis Collegium germinavit ac protulit.

Sed ¡proh dolor! Hanc beneficam domum, cujus nobis patebant fores illamque petere in promptu erat, ob temporum angustias, vidimus obturatam. Affuit tandem dies, septem ab hinc annis, in qua hæc ipsa domus denuo erecta, non vero absque labore assiduo curaque indefessa ejus præcipuè, tunc, ut Canonicus officia quamplurima Capitulo præstantis, nunc, ut Antistes, Santanderiensis Ecclesiæ prospicientis commodis, iterum januas patefecit suas: et quamvis nos non, ut in pristinum, sub uno eodemque tecto agamus vitam, quæ ad nostram spectant institutionem minimè desiderantur: eorum impensis subvenientibus eleemosynis et subsidiis á Canonicis aliisque piis fidelibus spontè oblatis, nostrique diligentissimi Rectoris laudanda accedente solicitudine.

Ecce Santæ Crucis Collegii usque in præsentiarum vicissitudines. ¡Utinam sub ditione tua firmetur et fulciatur!

Sustine adhuc, Vir ornatissime, Sed ¿eloquar aut taceam? ¿Num sensus et tristitiæ et gaudii, qui corda nostra premunt simulque dilatant coram Te aperiam? ¿Quomodo forsitan, inquies, tam contraria unà consistere possunt? Verum ita est. Ex hinc nostri amantissimi Patris, tui, scilicet, novissimi prædecesoris in hac regenda Sede, adversa valetudo mœrore nos àfficit. Ex hinc assumptio tua in Gadicensem Episcopum est nobis letitiæ. Placuit enim Deo, cujus in manibus hominum sunt sortes, gaditano gregi Pastorem donare moribus honestum, doctrina eruditum. Talem te agnoscimus, Antistes amplissime, indeque pro comperto habendum Te ei, qui à nobis corpore abest, sed adest spiritu, evasurum similem: et ecce jam quid nostrum lenit dolorem, mœstitian diluit.

Etenim Tu ab ipsis primordiis in partem Domini vocatus, noxiaque vitare sæculi cupiens ad Gerundensis Seminarii claustra confugisti: Tu assiduè ac diligenter litteris vacasti easque tradidisti; unde et Tu pontificii juris lauream emeritus es, ac in apostolica Nuntii aula ædibusque regiis permagna exequutus munera.

Sufficiant dicta, Pastor egregie, ne forte modestiæ tuæ, quod à nobis absonum, blandiri videamur.

Faxit Deus ut ad ultimam senectam tamquam sal terræ fidelium mentes condire valeas, et sicut lux mundi virtutis radios undique diffundere.

Nos incunctanter et pro semper audientes Tibi erimus.

Dixi.